

non eum qui morbos curatu faciliores, curatu difficiles reddit. Nam ille causas morborum et usum remedium quae his conducunt, clare noscens, curatu faciles reddit morbos, qui sunt curatu difficiles; hic vero cum expertus horum sit, attamen multitudine medicamentorum fretus, et largiter ista adferens, morbos curatu faciliores difficiliore reddidit, frustra eos prolongans.

Aliud.

§. 1. Brevior quidem tota vita hominum revera est, quam ut artem perfecte aliquis addiscere possit; non minus vero artem medicam, quae omnium artium longissima est, ut dextere dixit Hippocrates, et aegre parabilis, magnaue cum difficultate acquiritur; nec est cujusvis, cum sit difficilima, multoque et labore opus habet, et tempore, quo minus qualitercunque hac aliquis potiatur. Ut experientiam accuratissimam, et eam quidem assiduam, cum firma et recta ratione combinans, quae utraeque arduae et indagatu difficiles sunt: et unam quamque earum vere perpendens, ad eius qualemcunque cognitionem vix pervenire possit, qua adjunctrice facilius curationes dextras